



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. xcv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

De ordinatis & reliquis fidelibus, quòd sine licentia sui episcopi nil agere debeant. Cap. XCIII.

Ex epist. Clementis omnibus fidelibus missa. cap. 22.

QVapropter cunctis fidelibus, & summopere omnibus presbyteris & diaconibus, ac reliquis clericis attendendum est, vt nihil absque episcopi propria licentia agant. Non utique Missas sine eius iussu quisquam presbyterorum in sua parochia agat, non baptizet, nec quicquam quod ad episcopum pertineat, absque eius permisso faciat. Similiter & reliqui populi, maiores scilicet & minores, per eius licentiam quicquid agendum est agant, nec sine eius permisso à sua parochia abscedant, vel in ea aduentantes morari præsumant. Animæ verò eorum creditæ sunt, ideo omnia eius consilio debent, & eo inconsulto nihil. Quicumque enim obediunt episcopis suis, videntur quidem obedire & Deo. Qui autè eis non obediunt, indubitanter rei & reprobis existunt.

De eadem re. Cap. XCIII.

Ex epist. eiusdem, cap. 36.

Nillum enim presbyterum in alicuius episcopi parochia aliquid agere debere absque eius permisso docebat. Cunctos presbyteros propriis episcopis in omnibus absque mora obedienter instituenti domino esse debere docebat. Nullum aliena concupiscere aut præsumere eorum, sed vnumquemque suis sibi que commissis contentum esse docebat. Neminem etiam alicui aliquid facere, nisi quod sibi vult fieri instruebat.

De eadem re. Cap. XCV.

Ex cõcil. Aralatē. cap. 2.

DE presbyteris aut diaconibus qui solent dimittere loca sua in quibus ordinati sunt, & ad alia loca se transferunt, placuit vt iisdem locis ministrarent. Quòd si de relictis locis suis ad alium se locum transferre voluerint, deponantur.

Quòd non liceat clericum in duarum ciuitatum simul conscribi Ecclesiis. Cap. XCVI.

Ex cõcil. Chalced. cap. 10.

Non licere clericum in duarum ciuitatum conscribi simul Ecclesiis, & in qua ab initio ordinatus est, & ad quam confugit, quasi ad potiorem, ob inanis gloriæ cupiditatem. Hoc autem facientes reuocari debere ad suam Ecclesiam in qua primitus ordinati sunt, & ibi tantummodo ministrare.